

www.e-rara.ch

**Disputationum iuridicarum inauguralium selectiorum in inclyta
Basileensium Universitate disquisitioni publicae ac solenni expositarum
volumen novum**

Causse, Johann Conrad

Basileae, A. 1653

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22067>

XXIV. Disput. inauguralis continens materiam aedilitiarum actionum

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



XXIV.

DISPUT. INAUGURALIS

Continens Materiam

ÆDILITIARUM ACTIONUM.

Pro.

Doctoratus in U. J. honoribus summis

publicæ disquisitioni submissa

In Academia Rauracorum

à

JOHANNE HEINRICO *Steitz*
Spirâ Nemes.

Ad D. XII. Aug. An. ∞ IOC XLVI.

P R O L O Q U I U M.

QUAM favorabiles erga contractus; sine quibus humana societas diu subsistere nequit, nostræ Romanæ sint leges, hoc nemo, nisi qui in illarum volumine hospes est ignorat, quod vel maximè ex emtionis & venditionis contractu intelligi licet: in hoc enim non solum, ut res ita, ut eam habere liceat, vel ne quis ultra dimidium justii pretii decipiatur, aut ut ad mutuas præstationes, contractantes sibi invicem teneantur, sufficit; sed & insuper, ne corrupta, morbosa aut vitiosa tradatur, requiritur. Uti autem in uno vel altero trium priorum, deceptis & Circumventis, vel Eviçtionis aut emti & venditi actione, vel denique *legis. 2. C. de rescind.*

de rescind. vend. beneficio prospectum & subventum; Ita in posteriori, Ædilitii Edicti remedio, læsis provisum & consultum esse, constat: Populus enim Romanus, (qui in omnes occasiones, quo fraudibus, circumventionibus, fallaciis & mendaciis, in contractibus ineundis occurrere posset; semper intentus fuit) Magistratus, quos Ædiles curules appellarunt, creavit, quibus inter cætera, etiam annonæ incorruptæ vendendæ, cura erat demandata, qua de causa Edictum proposuerunt, unde salutaria remedia; ad extirpandas fraudes, coercendasque venditorum, fallacias pertinentia, quæ Ædilitiæ actiones vocantur, promanarunt. Verùm ut quæcunque aliæ res in communis vitæ usum assumantur, ipsarum commoditas facit, ut quæ utilitatem aliquam afferunt, magni faciamus, quæ verò nihil aut parum conducunt, contemnamus, ita omninò & ad legalium compositionem nos accomodare oportebit, ut quarum usus aliquis sit, qui bono quoque Remp. beet, hæc necessariò ferantur & honorentur, quarum verò usurpatione, aut mala sit, aut nullius momenti, harum non modò non habeatur ratio, sed etiam ex legum corpore exemptæ rejiciantur, monente & jubente Imperatore Leone, *in Novell. 46.* Idcirco & ego disputaturus, non abs re me facturum existimavi, si posthabitis aliis Juris minutiis, sæpenumerò sub manibus præ nimia subtilitate evanescentibus, hanc Ædilitiarum Actionum materiam, usu certè frequentissimam, utilitate fructuosissimam, cognituque maximè necessariam, in succinctam dissertatiunculam redactam, publico Examine subjicerem, quam quidem rem, nunc ipso actu aggrediar, & ad prædictæ materiæ tractationem, citra ultteriores ambages me conferam. Tu DEUS TER OPT. MAX. cæptis clementer annue, mentem instrue, linguam dirige & ut omnia ad sanctissimi nominis tui gloriam, Ecclesiæ & Reipubl. commodum & utilitatem feliciter procedant, divinâ tuâ gratiâ effice.

THESIS I.

DE Ædilitiis itaque actionibus, pro Ingenii modulo, conclusiones nonnullas hisce pagellis consignaturus, conveniens fore, arbitror, in ipso frontispicio, nomen hujus Edicti depingere, quod ab Ædilibus curulibus Ædilitii nomen assumpsit: His enim, non modo ludorum & ædium *l. 2. §. 2. de Orig. Jur.* sed & annonæ, & exinde, ut venditionibus & his similibus quibusdam contractibus, omnes fraudes amoverentur, *l. 1. ff. h. t.* præcipuè cura erat; Curules autem dicti, vel quod fellis curulibus insisterent *Liv. lib. 7. Gell. lib. 6. cap. 9.* vel prout *Sext. Fest. lib. 3.* cui quoque *Isidor. libr. 20. Etym. c. 11.* ad stipulatur ex eo appellatos esse putat, quod curru veherentur, quia autem non magni momenti, ideò de his satis.

2. Sed ut ad rem ipsam accedam, tria capita huic Edicto insunt, quorum duo priora, ad emptionis, venditionis contractum illud, Mancipiorum *d. l. 1. h. t.* hoc Jumentorum, pertinent; *l. ædiles. 38. h. t.* tertium verò caput, de omni nocenti animali, ne eo loco habeatur, quâ vulgò, Iter fiat præcipiens, *l. 40. hoc tit.* quia à proposita materia alienum, de illo altum erit silentium.

3. Verùm Judicium hoc, quamvis Mancipiorum ac Jumentorum tantum mentionem faciat, idem tamen de omni pecude, *l. ædiles. 38. §. 5. l. si tamen. 48. §. 6. h. t.* Imò de quavis re inanimata, mobili & immobili, *l. 1. pr. l. sciendum. 63. l. 49. ff. & l. 4. C. h. t.* ut fundis prædiis, ædibus, pannis, libris mendosis, carnibus fætidis, aromatibus falsis, quando aromatarii, falsa atq; incorrupta aromata vendunt, obtinet, *Menoch. 2. arbit. jud. cent. 4. cas. 382.* modo ejusmodi sint res, quas propter vitium habere emptas non expediat, *Wes. in ff. hic n. 8.*

4. Sed quia multum interest, inter illud quod fuit, & quod nunc est, *l. qui res. 98. §. aream. 8. ff. de solut.* Et hodierno seculo, famuli, qui pro mercede, nostris expensis, nobis suâ sponte inserviunt; in dominio nostro, ut servi antiqui, non existunt; non enim uti illi venduntur, *l. un. ubi Gothofr. C. com. serv. manum.* vendicantur, *gloss. in l. cum aliquis C. de Jure delib.* ad eruendam veritatem ita faciliè torquentur, *l. 1. ff. ad Senect. Syll.* non idem de illis, quod de Equis & Asinis Judicium, *l. 2. ff. ad L. Aquil.* (quam legem, multi non tam absurdam quàm barbaram clamitant, propter *C. Genes. 1. v. 26. & cap. 5. v. 1.*) non ut illi ab actionibus civilibus removentur. *l. 32. de R. J.* & ut in unum fasciculum contraham, famuli & ministri nostri, ita non sunt domini sui, ut ad instar servorum, sint toti illius, sed homines liberi sunt in omnibus: Ideò veterem illam servitutem, quam Aula nostræ Germaniæ ignorat, brevissimè percurram, quia aliàs de Mancipiorum redhibitione dicta, ad Jumenta & alia pecora transferri possunt, *l. ædiles. 38. §. 2. 3. l. si tamen. 48. §. non solum. h. t. C. Jurid. Argent. hic thes. 17.*

5. Finis hujus Edicti ab Ulpiano in *l. 1. §. causa. ff. h. t.* refertur, ut nimirum fallacis vendentium occurratur, & Emptoribus deceptis succurratur, *d. l. 1. h. t.* manifestum enim est, Emptores venditorum fraudibus & circumventionibus expositos esse, facileque ab iis decipi posse: nam id genus hominum ad lucrum potius, vel turpiter faciendum pronius est. *l. 44. §. 1. fin. h. t.*

h. t. Qualitas enim rei venditæ, præsertim interior, non ignota venditori, è contrâ autem Emptori etiam callido & sagaci facile occulta esse potest.

6. Hinc ex parte agentis favorabile, ex parte verò rei conventi, odiosum esse remedium, hoc Edictum, haud incongruè dici posse puto, ut in simili dicunt Dd. de statuto excludente fœminas propter masculos, quod tale statutum, ex capite Masculorum sit favorabile, ratione conservandæ agnationis; ex capite verò fœminarum, odiosum. *Gail. 2. observ. 148. n. 6.* Verùm in his, cum ad alia sit properandum, diutius immorandum non est.

7. Magistratui quia competit, non tantum iis, quæ ante oculos sunt, sed etiam futuris prospicere; præmeditatio enim futurorum malorum, levat eorum adventum: Ideo Ædiles hisce fraudationibus venditorum, quibus Emptores obnoxii sunt, hoc Edicto occurre voluerunt; partim cautionibus antequam acciderent, partim remediis actionum, si jam accidissent.

8. Cautiones autem fuerunt duæ; una, ut venditores, quod vitii morbi ve latentis scirent, in vendendo pronunciarent, *l. 1. §. 1. l. ædiles. 38. h. t. ibi*; palàm rectè pronuncianto dicunt, palàm, id est, ut Emptor exaudire possit, *argum. l. heredes palàm ff. qui testam. fac. poss. rectè*, id est, non ambigue, non obscure, sed aperte & intelligibiliter, sic ut vitium ipsum notetur.

9. Altera verò est, ut si vellent Emptores, stipularentur, in re vendita nihil vitii esse, veluti sanam esse, furem, fugitivum, Erronem non esse, bene esse & bibere. *l. 31. & 32. ff. de Evict.* *Wester Natur wol fressend/ gesund/ auffrichtig/ ohn einigen mangel/* Emptio & venditio enim ut contractus bonæ fidei, sinceræ requirit merces, nec Empti Judicium, dolum admittit. *l. 1. §. 1. l. tenetur. 6. §. fin. ff. de act. Empt. & vend. Dann Kauff/ erfordert Kauffmanns Gut/ vnd Stauben.* Cautio autem hæc, fugitivum, Erronem non esse, in Jumento, cessat, licet enim erret aut fugiat; Erro tamen & fugitivus non est, neque ob id agi potest; *l. pen. §. fin. ff. hoc tit.*

10. Stipulationes autem Emptores interponunt, si suspicionem concipiant, ex indiciiis, non ita manifestis, de morbo aut vitio; tunc enim agitur, ut venditor repromittat, aut eo nomine Idoneè caveat, *l. 28. l. 31. §. 20. ff. h. t.* nec hic quæritur, utrum vitiosum, an non, sit, sed an cautionem exponere recusaverit, quam bonus vir denegare non potest, ob cautionem enim non præstitam, vitium subesse, præsumitur.

11. Hisce cautionibus itaque non interpositis, si fortè fraus commissa deprehenderetur, vel retentiâ, morbi vitive latentis, aut dicto promissove non præstito, vel si venditor ædilitiis stipulationibus cavere noller, Judicio Redhibitorio, vel Æstimatorio, Emptori prospicere; *d. l. 1. d. 1. l. ædiles. 38. h. t.* aut, si redhibitio jam facta esset, pretio autem Emptori, à venditore nondum restituto; actione in factum, læso subvenire voluerunt; *l. 31. §. 17. d. 1. de quibus tribus actionibus quæ accessoria & consequentia venditionum appellantur in l. 3. §. 5. C. de vet. Jur. enucl. breviter agemus.*

12. Sed cum nemo res intelligat, nisi prius verba cognoverit, vocula enim, notæ & indices rerum sunt, quorum beneficio Intellectus noster, res ipsas concipit. *Scalig. Exercit. 1. sect. 1.* Ideò antequam actionis redhibitoria, (quæ primum sibi vendicat locum *l. 1. h. t.*) definitionem aggrediar, Jcto Ulpiano in *l. 21. ff. d. 1. morigerus*, opere pretium duxi nominis rationem primitus indagare.

13. Redhibitoria itaque actio, à redhibendo dicitur: Redhibere enim, secundum Ulpianum, est facere, ut rursus habeat venditor, quod habuit, &

quia reddendo id fiebat; Idcirco redhibitio, quasi redditio appellata, *l. 21. ff. h. t.* dicitur etiam venditionis resolutio; *l. Pomponius. 13. §. prætorea. ff. de adquir. vel amit. poss. Wesenb. in ff. h. t. n. 13.* obligatio redhibitoria, *Alshuf. dicalog. lib. 1. c. 75. n. 12.*

14. Quia per definitionem, substantia rei, rectissimè declaratur, hanc actionem cum *Treutler. volum. 2. disput. 2. thes. 2.* Ita definiri posse puto; quod sit actio personalis, arbitraria, prætoriam, quæ omnia in integrum, re reddita & pretio recepto, restituitur; quæ si non est ex omni parte perfecta, videtur tamen rem ita declarare, ut facile percipi possit, quid per eam intelligatur.

15. Personalis dicitur actio, quia ex contractu, ex quo obligatio nascitur descendit *l. 23. §. si servus. 4. ff. h. t.* cujus effectus est, non ut corpus aliquod nostrum faciat; *l. 3. ff. de O. & A.* seu dominium transferat, sed ut personam nobis, ad aliquid dandum vel faciendum adstringat, *§. 1. Inst. de act.* cujus natura est, ut sequatur personam actoris, sicuti lepra leprosum, eique ita inhæreat, ut ab eo avelli non possit, ita enim affixa ossibus actoris, sicuti Character baptismi in anima, uti loquuntur, *Interpr. & Fas. in §. eorum. Inst. d. 1.*

16. Arbitraria appellatur, non quidem ex accidenti, veluti actio ex stipulatu, si alio loco agatur. *l. 2. l. 3. in fin. ff. de eo quod cert. loc.* hæc enim ita dicitur, quod totum arbitrio Judicis committatur; sed ex naturâ sua, quod arbitrium Judicis aliquod, sententiam definitivam præcedat, *§. prætorea. 31. Inst. d. 1. de act.* quæ omnia hic conveniunt, nisi enim, arbitrio Judicis jubentis pareat, pretium in duplum reddere condemnatur. *l. 45. h. t.*

17. Prætoriam sive honoraria dicitur, quia eadem de re Prætores, de qua Ædiles edicere potuerunt, inde factum, ut sub Jure Prætorio, Jus Ædilitium quoque comprehenderetur, *§. 7. Inst. de J. N. G. & C.* cui ad stipulatur quoque *§. 2. Inst. divis. stipul.* dum enim ibi Jus Civile opponitur Prætorio, sub hoc, Ædilitium quoque Edictum intelligitur, ut & *l. stipulationum §. prætorie. ff. de V. O.* Nam Ædiles Curules, quoad res venalitates, cum Prætoribus, Jurisdictionem quasi concurrentem habuisse, aut certè eum sublevasse, quæ de causâ deficientibus Ædilibus, (qui non semper, quotannis creari soliti sunt;) Judicia, Ædilia ad Prætores translata fuisse, annotavit *Donellus hic.*

18. Ex quibus autem causis, hæc actio redhibitoria competit, & quæ ad eam requiruntur, quidam, inter quos est *Donellus, lib. 13. Com. cap. 3.* inter causas generales, omnium rerum communes, & quæ in omnes res, naturâ suâ cadunt, & speciales, quæ in mancipiis & Jumentis tantum variant, & Edicto comprehensæ sunt, distinguunt.

19. Generales causæ sunt; Et quidem prima, si quid morbi vitiosæ, non palam & rectè in re venditâ, venditor pronuntiaverit, uti suprâ dictum, ob quam retentiam, non magis mancipia & Jumenta, quàm vitiosæ ædes, agri pestilentes, & similia, redhiberi possunt.

20. Altera, si quid dictum promissumve sit in re venditâ, quod tamen venditor non præstitit; ut si dixerit, adesse aliquid, quod abest, aut abesse, quod adest, ut, esse novitium, qui est veterator, Equum juvenem esse, qui tamen non est, præsumptum enim est, ait *l. 37. h. t.* ea mancipia, quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora ac habiliora, trita verò mancipia & veterana, reformatu difficilia: hinc illud: *Ein alter Wolf ist bößer Bändig zu machen.* Quæ omnia, non minùs in aliis rebus, quàm mancipiis & Jumentis, locum inveniunt.

21. Quæ tamen, non simpliciter, sed secundum quid, & cum moderamine sunt intelligenda: ea enim, quæ gratiâ dicuntur, puta servum esse frugi, Equum esse bonum, venditorem non tenent; commendatio enim generalis, ad nudam laudem tantum pertinens, redhibitionem excludit: multum enim interest, commendandi causa quid dixerit, an verò præstiturum promiserit, quod dixit *l. 19. pr. h. t.*

22. Aliter autem obtinet, si in commendatione, certam bonitatis seu artificii speciem expresserit; utputa, hominem literatû seu artificem, Equum esse gradarum *ein Zetter* vel veredum *ein Klapper* servum esse cocum, omnia enim hæc venditorem obligant, *l. 18. §. 1. ff. h. t.* & sufficit artifices esse, non quidem consummata scientiæ, sed tales quales vulgò artifices dicuntur. *d. l. 18. §. 1. ff. eod.*

23. Sed etsi quid specialiter dixit; nec hoc tamen semper eum præstare oportet, utpote, si quod dixit, ita fuit in promptu, ut cerni ab emptore, id ita non esse, potuerit; v. g. si servum speciosum, Equum magnum, si domum bene ædificatam dixerit, *l. 43. ff. de contr. empt.* Non enim deceptum se esse, conqueri emtor poterit, qui quo in statu res est, videt, quæ aliâs causa cur dicta promissivè præstari debeant, *l. 1. §. 1. ff. de edil. Edict. Donell. c. 3.* quin ad culpam potius emtori imputandum, quod ea, quæ palàm apparent, non perpenderit, aliâmve, qui facile perpendere posset, secum adduxerit. Quod si verò dolum admisiverit venditor, quia is culpæ præponderat, *arg. l. 9. ff. ad L. Aquil.* utique tenebitur, sive generaliter quid dixerit, sive id quod dixit palàm fuerit, *Mod. ad tit. de contr. empt. part. 5. de pact. int. Em. & vend. num. 6.*

24. Tertia; quæ actioni redhibitoria locum relinquit, generalis causa est, si quid ab initio, ita venierit, ut nisi placeret, redhiberetur, *l. 31. §. 22. h. t.* contractus enim legem ex conventionione accipiunt, *l. 1. §. 6. ff. de pos.* quod rursum aliis quoque rebus adjungi potest. Ultima est, si de vitii morbis rei venditæ, ædilitiis stipulationibus uti vocantur in *l. 5. ff. de V. O.* Emptori postulanti non caveatur, *l. 28. ff. h. t. de edil. Edict.* quas stipulationes super quavis etiam re, quis exigere potest.

25. Speciales, & Edicto comprehensæ causæ sunt, 1. in Mancipiis, si quis fugitivus, Errôve noxave solutus non sit; neque hæc venditor palàm & rectè dixerit, 2. in Jumentis, si, uti optimè ornata, vendendi causa fuerint, ita Emptoribus non tradantur, ut si Emptori, productus sit Equus ornatus & constructus, *gesattelt und gezeugt* isque Equum emat, sicut ipsum vidit, soluto verò pretio, venditor tradat equum, nudum, tantum cum capistro, *allein mit der Haister* / uti aliâs moris est, vel si bigæ, trigæ aut quadrigæ instructæ unâ cum phalaris producantur, venditor autem tradat absque phalaris, *ohne das Geschirr* quæ omnia, huic actioni locum faciunt, *l. 38. §. 11. h. t.*

26. Præcipua tamen causa, quæ actioni redhibitoria frequentius locum facit, prima præceteris, speciali consideratione digna est, quam, ut huic redhibitorio judicio cum effectu locus sit, hæc quatuor requirere, tradit *Caball. hic c. 2. n. 1. de edil. act.* 1. Quod intervenerit venditio vel permutatio. *l. 1. pr. l. sciendum. 19. §. deinde. ff. h. t.* 2. quod res sit morbosa vel vitiosa, 3. quod morbus vel vitium fuerit occultum, nec tempore venditionis apparuerit, *d. l. 1. §. 6. h. t.* Et denique 4. quod fuerit ante venditionem, nec postea demum obvenit, *l. 54. h. tit.*

mare, aut omnino derelinquere potuit. Unde proverbium hoc: *Etnem ge
schenkten Gaul/ soll man nicht sehen ins Maul.*

31. Nec de Evictione Donatorem teneri concludo, per l. 2. c. de evict. l. 18. §. fin. ff. de donat. ubi actio de dolo datur, quæ non daretur, si evictio locum haberet, l. Fulianus. 131. §. fin. ff. de V. O. certum enim est eum, qui rem alicui donavit, Jus quod in ea re habuit, transferre voluisse, argum. l. si domus. 71. §. penult. l. si à substituto. 45. §. heres. ff. de leg. 1. aliud autem, quod donatorem promississe, non intelligitur, ne alioquin uti modò dictum, suæ liberalitatis pœnam patiat, si ultra Jus donatum, aliquid ab eo exigatur, quod LL. non admittunt; unde dici solet: Nemini officium suum damnosum esse debere, l. sed si quis. 7. ff. testam. quemadm. aper. aliud est, si sciens, & dolo, rem alienam donaverit, tunc enim conveniri posse, de dolo, approbat d. l. 62. ff. h. tit.

32. Et hæcenus de primo redhibitionis requisito, alterum; nimirum, vitium vel morbum rei venditæ quod attinet, inter antiquos JCtos, de morbi & vitii differentiâ, variæ & diversæ fuere sententiæ & opiniones. vide Gell. libr. 4. noft. Attic. c. 2. & Donell. hic. cap. 2.

33. Quidam enim existimarunt, morbum esse, aut totius corporis imbecillitatem, ut febrim, aut partis alicujus, quæ penitus ejus rei usum adimat, ut cæcitate; vitium verò esse unius alicujus partis corruptionem & pravitatem, quæ non ex imbecillitate ejus partis nascitur, neque ejus usum auferat, ut si quis blæsus vel blabus sit, Equus calcitrosus aut mordax: & sic, morbi appellationem esse specialem, vitii autem generalem, ut quisquis morbosus eundem quoque vitiosum esse, non contra.

34. Alii verò, morbum & vitium ex tempore distinxerunt, & morbum, temporalem corporis imbecillitatem, hoc est, affectionem, lædentem corporis operationem, cum accessu scilicet & recessu; vitium verò perpetuum corporis esse impedimentum, quod aut ex læsione aliqua remansit, aut ita cum corpore initio extitit, putarunt: hujus sententiæ fuit *Massurius Sabinus*, eumque *Secutus Modestinus*, ut apparet ex l. inter stuprum. 101. §. 2. de V. S. Sed ut ut sit, eam differentiam, *Ulpianus* hic attendere noluit, sed consulto refugiens; *Ædiles* tollendæ dubitationis gratiâ, bis *xxij. rē dōlō* de eodem idem dixisse, asserit, l. 1. §. 7. ff. h. t.

35. Ex hisce patet, si quærat, de re venditâ vel emptâ, quæ in redhibitionis causam adducitur, an vitiosa sit vel morbosa, saltem considerandum, an talis quispiam defectus adsit, ac reperiatur, qui ministerium & usum rei impediatur, ad quem à natura deputata ut si ager aut domus, talis deprehendatur, ut neque ex illo fructus colendo percipi, nec hæc inhabitari possit; vel Equus ita pravus veniatur, ut neque ad Equitandum, neq; ad trahendum, *weder zum Zug/ noch zum Ritt* / ad quos tamen usus, naturâ vel arte comparatus est, aptus esse possit.

36. Non autem omnia vitia, tam corporis quam animi, in hoc Judicium veniunt, sed corporis tantum, l. 1. §. 10. l. 4. ff. h. t. præcipue verò, in mancipiis, in his enim redhibitio non est, nisi vitium solius corporis, aut animi & corporis mixtum sit, d. l. 1. §. 9. l. 2. & seqq. duab. h. t. excipitur enim solus fugitivus & Erro; Exceptio autem in casibus non exceptis firmat regulam.

37. Secus autem est in Jumentis, l. 43. l. 38. §. Idem. h. t. ibi. si nata sit eo ingenio aut corpore: sunt enim quædam vitia, quæ vel corpori, vel ingenio tantum, adscribi possunt, ut in Equis maximè videri potest, si retrogradus vel

phreneticus, wann ein Pferd stettig ist/ oder tollereud/ quæ ingenii vitia; aut scabiosus vel mucosus, wurmicht/ oder rosig/ quæ pro corporis vitiis habentur; & hæc plerunq̄ quatuor vitia realia, die vier Hauptmängel/ appellantur.

38. Verùm cum Statuta & consuetudines locorum variare, constat *exc. r. de Constit. in 6. adeo*, ut qualibet ferè provincia, suo abundet sensu, nec non qualibet ditio, Civitas, quemlibet propè dixerim vicum, peculiare suas habeat consuetudines: *Vend. in tract. de Revision. conclus. 33. num. 16.* Idè si de probatione aut qualitate morborum vel vitiorum quærat, in Judiciis cùm civilibus, tùm prætoriiis, semper vulgarem opinionem & consuetudinem regionis respiciendam esse concludo. *l. 19. §. 4. h. t.*

39. Jure Equidem Saxonico, Weichbild *aric. 97.* Venditor, non nisi de tribus vitiis Equi, regulariter tenetur redhibitoria hæc actione, quæ sunt: 1. Stettig/ 2. Staarbünd/ & 3. Haarschlechtig/ nisi fortè alia lex contractui sit dicta.

40. Ex Reformatione autem Reipublic. Francofurtensis, Venditor de quatuor vitiis tenetur. Si 1. Equus sit furtivus, aut prædatis, geraubt oder gestohlen/ rei enim furtivæ, nullum est commercium, *l. 34. §. Item si ff. de contrah. empt.* (nisi tempore belli aperti aut diffidationis, Equum in hostico, venditor sit deprædatus; Wann es bey offenen Besädingen vnd Kriegszeiten zur Deut bekommen/ *Coll. Jurid. Argent. thes. 17. h. t.* Ita enim ex hostibus, Justo bello capta, Jure gent. fiunt capientis *§. 17. Instit. de Res. divis.* quod in bello illegitimo non procedit. *l. hostes. 24. ff. de capt. & postl. redempt. Oldend. progymn. class. 3. act. 9. præf. 1.*

41. Cautelæ tamen loco tradunt, ut Emptor suspicatus rem emendam alterius fore, protestetur bonâ conscientia, coram Notario & testibus, se rem emptam, ubi dominum resciverit, reddito pretio restitutum; quo facto Emptorem pretium recuperaturum, vid. *Oldend. class. 4. act. 1. sing. 1.*

42. Cætera tria vitia quæ dictæ Reformationi Francofurtensi insunt. Si 2. Equus sit Haarschlechtig/ Si 3. retrogradus, Stettig. Et denique 4. si Lunaticus, Hauptsiech/ ato Monnauig oder Rosig/ hæc enim vitia cùm invisibilia sint, venditorem, quantumvis etiam intelligentem & versutum, latere possunt.

43. Verùm etiam si hodiè plerisque in locis (quorum in antecedentibus exempla quædam allata sunt) non nisi, ob certos quosdam morbos ac vitia, de quibus vulgè inter partes convenit, redhibitioni locus relinquatur, non tamen veremur affirmare, Jus Civile sanctius severiusque hæc in parte esse, quod non modò omnem dolum & deceptionem prohibet, verùm etiam doli suspicionem averfatur; cum ii, qui Jus Civile, in hæc, aut etiam in aliis quibusdam partibus negligunt, nisi alia ratione iniquitatem expellant, excusare se, à doli & fraudis patrocinio, vix possunt. *Coll. Jurid. Argent. th. 17. h. t.*

44. Hinc consuetudinem illam, quâ Equus in publico mercatu, (auff fremem Markt) ut loquuntur venditus traditus, etiam si vitiosus, aut promissis dispar fuisse aut esse, inventus sit, reddi, ejusve nomine venditorem non teneri vel conveniri posse, nullius momenti esse; & tam divinæ quàm naturali rationi, ac publicæ utilitati repugnare, apparet.

45. Tertium hujus actionis requisitum, diximus esse vitium occultum & latens, *l. t. §. 6. l. 14. §. 10. ff. h. t.* Inde, si Claudus Equus venditus fuerit, quod vitium manifestum & patens est, & ita in aperto, ut oculis offeratur cujuslibet, qui ipsum aspicit, venditorem non teneri, nemo dubitabit, signum enim

enim, quoties de sui naturâ demonstrat signatum; non est necessaria alia hominis demonstratio. *l. 1. §. 6. l. 48. §. ei. 3. h. t. & quod factô ipso demonstratur non debet verbis pronunciarî, l. 43. pr. ff. de contr. empr.*

46. An & aliquid autem venditor Emptori teneatur, distinctio medellâ, rem curabimus: si enim morbus vel vitium notum fuerit, utriqûe, tam Emptori quàm venditori, redhibitoria cessat, quia scienti non fit injuria, *c. scienti de Reg. Jur. in 6. l. 1. §. 5. ff. de injur.* unde illud: prudens emisti vitiosum dicta tibi lex est, *gloss. in l. 51. pr. h. t. qui enim certus est, amplius ratificari non debet, c. cum qui. de Reg. Jur. in 6. l. 1. in fin. ff. de act. empr. & vend. l. 1. §. si intelligatur. ff. h. t. nec opus est denunciatione, hic enim, quia finis sciendi tantum respicitur, Ideò sola scientia sufficit, l. 20. §. 11. ff. de per. hered.*

47. Diversum obtinet, si uterqûe ignorârit, tunc enim nihilominus venditor teneatur, quia potuit vitium notum habere, id est, non debuit ignorare, nec interest Emptoris, cur fallatur, ignorantia Venditoris, an calliditate, *l. 1. §. 2. ff. h. t. quia ignorantia Venditoris non minuit damnum Emptoris; ergò nec actionem, quæ formatur ad damnum; cessare facit. Aliter porro se res habet, si ignoraverit Venditor & sciverit Emptor, & rursus est, quod Emptori imputetur, si verò è contra ignoraverit Emptor, & sciverit Venditor, & hoc casu teneatur Venditor, non solum ad pretium restituendum, sed ad omne interesse, quod inde passus est emptor, l. 13. ff. de act. empr. & vend. Hinc si quis vendiderit Equum retrogradum der stettig ist / non certificato Emptore, si eo in bello usus, & captus fuerit; ad intercesse Emptori teneri, ait Caball. hic per d. l. 13. ff. d. t.*

48. Ex hisce elucescit differentia & discrimen, inter evictionem & hanc redhibitoriam actionem; quod nimirum venditor, in evictione, sive sciens, sive ignorans, rem alienam, & non suam vendiderit, semper, & indistinctè ad interesse, in hoc verò judicio Redhibitorio, venditor sciens tantum ad id teneatur.

49. Quia superius diximus, quod ille, qui non ignoravit rem esse vitiosam vel morbosam, certiorari non debeat, *per l. 1. §. intelligitur. ff. h. t.* Ideò haud incongruè quaeritur, an dicta Regula, etiam in Evictione, eo scil. casu, si venditor rei evictæ, & emptori litis motæ scientiam habuerit, locum habeat; ut ita Emptor venditori denuntiare non teneatur? mentem discursus forsitan revelabit, jam rursus ad materiam.

50. Quid autem dicendum, si venditor morbum sciverit, Emptor verò è contra supinè tantum ignoraverit, quam ignorantiam crassam appellat. *l. 6. ff. de Jur. & fact. Ignor. an teneatur venditor? Glossa cum Baldo, quidem hoc negat; sed quia venditor, qui non denunciavit, quod denunciare debuit, est in dolo, l. quod venditor. ff. de dolo. Emptor autem saltem in latâ culpâ, dolus autem venditoris latæ culpæ præponderat, l. si mor. ff. solut. matr. Ideò salvâ, Gloss. & Barr. auctoritate, cum Caball. c. 2. n. 23. de adilit. act. & Treutl. vol. 2. disp. 2. ih. 2. divortium facere non erubescio:*

51. Neque Baldi limitatio, inter Emptorem sagacem & simplicem, hic quid efficere potest, scientiam enim eò usque extendere non debemus, ut velimus hominem sagacem, & res suas diligenti curâ tractari solitum, eo ipso, quasi etiam is sciverit, beneficio hujus actionis excludi, quis enim simplicibus & stulticulis, eam latam esse, dixerit, contra *l. 4. ff. Quod vi aut clam. l. 24. Quæ in fraud. cred.* si enim hoc admitteremus, stulti & simplices, suæ stultitiæ præmium consequerentur, sagaces verò, propter sagacitatem & industriam,

(quæ meritò illis fraudi esse non debet, *d. l. 24. ff. d. t.*) eâ privarentur.

52. Sed quia factis magis quàm verbis, quis voluntatem suam declarat, *t. grauum ext. de offic. deleg.* Ideò aliter se res habet in Emptore, qui nondum exsoluto pretio, morbum vel vitium cognovit, si consultò postmodum, pretium solverit, talis enim postea, redhibitoriâ vel æstimatoriâ acturus, audiendus non est, *argum. l. cum re. 2. C. de his quæ rîmèntur re caus. C. l. 8. ff. de condict. ob. urp. caus. Caball. hic. cap. 3. num. 11.* solutio enim, quia regulariter actum emptionis venditionis consummat, antiquissima. *12. tab. lege Publ. 1. Jurisprud. Rom. 35. in fin.* hoc actu contrariò morbum recipere, contractum affirmare, & beneficio redhibitionis, se ipso facto renunciare, testatus est. Ex actu siquidè præsumitur de voluntate agentis: quia principium actionis, est voluntas & consilium, nec de dolo venditoris potest conquiri, volenti quippe non fit injuria, *l. 1. §. 5. ff. de injur.*

53. Verùm, si venditor **PROTESTATIONEM** fecerit, se nolle teneri, pro aliquo morbo vel vitio, sed rem vendere cum omni vitio, *Haar vmb haar / wie ein vnd das ander gehet / vnd steht / sonder nachspruch oder wandet*; an hæc actio locum sibi vendicare possit, quæritur? Distinctione, hoc contractum removendum. Nam si protestationem fecerit generalem; scil. nolo teneri de aliquo morbo, illum teneri hac actione, confirmat *l. 39. ff. de act. empt. & vend.* ubi dicitur, quod verba generalia & captiosa, fallenti non prosint, nec pactum, ne de evictione teneatur, ei prodest, qui scivit causam, ex qua res evinceretur, & tacuit, *l. 6. §. 9. ff. d. t. si verò specialem fecerit protestationem, verbis scil. specialibus, ut nolo teneri, de hoc vel illo vitio, & illum non teneri, d. l. 39. ff. d. t. per rationem quam addit, l. 14. ff. h. t. quod remittentibus suas actiones, non sit dandus regressus.*

54. Non extra oleas me vagari, neque hæreticum esse puto, occasione modò in thesi præcedenti, allegatæ *l. 14. ff. h. t. hoc Zyrnaa*, nostræ materiæ immiscere; an nimirum beneficio, *l. 2. C. de rescind. vend.* renunciari possit? Et quamvis haud pauci sint, qui id simpliciter negant, sub distinctionis tamen fædere, illorum opinionem evertere, & contrarium cum *Bocer. Covarr. lib. 2. var. resol. cap. 4. n. 1.* affirmare, satius esse puto.

55. Venditorem porrò; qui multas & varias Emptori, ad eum decipiendum, struit insidias; *Sucht allerhand râncke herfür / den Käufer über den dösel zu werffen*; Inter cætera vitia, quæ Emptor evidenter vera non esse, sciebat, etiam verum vitium vel morbum exprimentem, ab Emptore tamen, sicuti de aliis, ita & hoc abesse, credente, res bona fide empta, huic actioni subijci posse, non dubitandum; quia eo solo animo & sine hæc narratio facta, quò vitium tegeret, quod aliàs Emptor fugiturus fuisset, *l. 43. §. fin. ff. de contrah. empt. nam & mendacium venditoris, hic dolus est. l. quod venditor. 37. ff. de dolo.*

56. Quartum denique hujus actionis requisitum est, ut vitium ante venditionem extiterit, nec demùm post eam supervenerit, *d. l. 54. ff. C. l. 3. C. h. t.* quia posteriores casus non venditoris, sed Emptoris periculum expectant, *d. l. 3. C. h. iii.* perfectâ enim per consensum emptione & venditione, etiam nondum secutâ traditione periculum regulariter ad Emptorem pertinet, *§. 3. Inst. de empt. & vend. l. 35. §. 4. ff. eod. l. 7. 8. l. si vendita. 11. ff. de pericul. & commod. rei vend. l. 1. 4. 5. C. eod.*

57. Quod verò tum demum procedit, si purè venditio facta; & quid, quale, quantum sit, quod venditum est, constiterit, *l. 8. pr. ff. dict. iii.* fallit enim hæc regula, in venditionibus conditionalibus, vel si, qualis sit venditio, nondum

non dum appareat, ut in rebus, quæ ponderando vel mensurando, æstimantur, contingit: Nam tunc periculum rei venditæ, ante conditionem & degustationem, mensurationemque, factam, ad Emptorem non transit, l. 1. l. 4. ff. d. 1. l. 35. ff. de contrah. empt.

58. Perdit quoque officium suum hæc regula, in venditione generis factâ, *gloß. in l. quod si neque. 14. l. eumque. 13. ff. de peric. & commod. rei vend. estque ratio, quia genus perire non potest, Es sterben nicht alle Pferd / l. incendium. 11. C. si cert. per. l. 30. §. 5. ff. ad L. Falcid. Quod idem obtinet, si duæ res alternative venditæ fuerint, l. 34, §. 6. ff. de contrah. empt. fallit insuper, si venditor in se periculum casus susceperit, §. 3. Instit. dict. iii. ut & quando venditor fuit in morâ: ita, ut per eum steterit, quo minùs traditio fieret, d. §. 3. Instit. d. 1. vel si emptio in scriptis celebrata fuerit, ubi ante scripturam consummatam, periculum rei, ad venditorem spectat, l. cum inter. 4. C. de peric. & commod. rei vend. sed rursus ad materiam, ne planè à viâ Instituti aberremus.*

59. Quia suprà dictum, quod vitium ante venditionem existat, idèò commodè mihi videor, hic subnectere quæstionem ex thesibus antedecentibus pullulantem: si statim post venditionem animal perierit: an ex morbo venditionem præcedente, & qui forsitan latuit; an verò ex novo, apud emptorem superveniente, decessisse, sit præsumendum? prius cum *Caball. de edilit. act. c. 2. num. 26. ob mortis celeritatem, quam ex triduo cum gloß. Bald. & Cyn. in l. 1. C. de emend. serv. definiunt; affirmandum esse puto: ne autem quis lædatur, injuriamque patiatur, hanc Dd. adhibent cautelam, quod animal mortuum, infra triduum excorietur, quò exactius, periti judicare possint, num ante venditionis diem, id mali animal sibi consciverit alueritque; & hac in re peritis in arte, & callentibus animalis infirmitatem credendum. l. 12. ff. de stat. hom. l. 1. pr. ff. de ventr. Instit.*

60. Res principales, huic actioni propter morbos & vitia subjectas, hæcenus consideravimus; quia autem interdum Emptores, intuitu accessio- num, res principales emunt, per illasque ad Emptionem quasi alliciuntur, l. 34. pr. ff. de contr. empt. Idèò non solùm principale, ob vitia vel morbos, sed & propter accessoria, planè non, vel malè & vitiosè præstita, redhiberi posse, ait l. 33. pr. ff. h. t. hoc tamen addito moderamine, ne accessorium sit univer- sitas, ut peculium & hæreditas, in iis enim si servi vel jumenta vitiosa fuerint, non redhibentur, quia certum corpus accessurum non dixit. d. l. 33. h. t. *Treutl. vol. 2. dist. 2. th. 1. lit. E.*

61. Præter accessoria, porrò huic actioni locum facit, rerum conjunctim venditarum, inseparabilitas vel paritas; quæ sine magno incommodo separari nequeunt, quasque, non, nisi omnes, quis empturus vel venditurus fuisset, l. cum ejusdem. 34. l. 38. h. t. ut si par jumentorum venierit & unum tantum vitiosum sit, alterum quoque redhibeatur, è re enim utriusque est, jumenta paria non separari, d. l. ediles. 38. §. 14. h. t.

62. Quid autem dicendum, si Equitium, *Ein tuppel Pferd / oder Rosshaar /* venierit & unus morbosus fuerit, an infecti solùm, vel omnium, fiat redhibi- tio? Distinctione casus erit decidendus: si enim confusè, unum, pro omnibus, pretium simul fuerit constitutum, & ejusdem officii causâ omnes comempti fuerint, quia una est venditio, propter unius morbum, cæteri quoque redhibeantur, *argum. l. cum ejusdem. 34. ubi gloß. l. Labeo. 64. §. 1. ff. h. t. nisi utriusque consensu, unicus ille restituatur solus, argum. l. si plura. 36. h. t. quo casu non solum restituendum pretium, æstimatione factâ proratâ equi red-*

hibiti, *l. Labeo. 64. cum gloss. h. t.* sed & id, quod ceteri, quos retinet, eo sunt depretiati. *gloss. in simili d. l. 36. pr. h. t.* nam vel unicus sæpè omnem poliam spectabilem facit.

63. Aut è contra, cuilibet Equorum, suo constituto pretio, quia plures sunt venditiones, propter unius morbum, ceteri non redhibentur, etiam si ex pretio singulorum, nna collecta sit summa, *l. 38. §. 14. h. t.* nisi emptorem, alios, sine isto, non empturum vel venditorem, sine aliis non venditurum fuisse affinitas rerum vel personarum suadeat. *d. l. 34. l. 35. hoc tit.*

64. Sed cum nulla regula tam firma sit, quæ non suas admittat exceptiones & limitationes, ideò etiam hæc nostra materia Ædilitiarum actionum, suas habet fallentias & immunitates, quibus adnumerantur, res à fisco venditæ; hæ enim præ ceteris hanc actionem rejiciunt, *l. 1. h. t.* propter auctoritatem hæstæ fiscalis, quam ob Reipublicæ commodum, facile convelli non convenit. Cessat & in rebus minimis & vilioribus, *l. si tamen. 48. §. fin. h. t.* ubi per simplariam venditionem, rerum viliorum venditio intelligitur, *teste Brudeo in nor. ad illam, quem sequitur ibid. Costall. & Cujac. ib. observ. 20. Coras. libr. 2. cap. 24. Misall. Donell. c. 4.* Cave autem exclusis Rempubl. & pupillum ab hoc Edicto, expressè enim actionibus ædilitiis subjiciuntur, *l. 1. §. 4. ff. h. t.*

65. Visis jam antecedentibus hujus actionis, ejusdem quoque consequentia, nimirum cui competit, adversus quem, intra quod tempus redhibendum, & quæ denique tam Emptori quàm Venditori redhibenda, paucis perstringemus,

66. Competit autem hæc actio ei, qui animal morbosum vel aliam rem vitiosam, ignorans emit, ut & heredibus ejus, *l. sciendum. 19. §. 5. ff. h. t.* heres enim simul atque hereditatem adierit, non modò dominium istarum rerum, quæ in patrimonio defuncti fuerunt, sed & actiones, quas defunctus adversus alios habuit, nanciscitur, *l. 37. ff. de adq. vel amit. heredit. l. pen. de divers. temp. præscript.*

67. Quod si plures sint Emptores, omnes ad redhibitionem intentandam consentire debent, unumque procuratorem dare tenentur, ne forte venditor injuriam patiat, dum ab alio partem rei venditæ recipit; alii verò in partem pretii condemnatur, quanti minoris res sit, *l. 31. §. 5. hoc tit. ex unius enim personâ non solum venit, sed & factum individuum est.*

68. Si autem alter heredum emptoris redhibitoriâ alter verò æstimatoriâ agere malit, cujus intentio prævalere debeat? distinguendo hæc disceptatio, *cum Caball. de ædilit. act. cap. 2. n. 47.* dirimenda est: aut enim animal vivit & non potest agere, altero invito, quia Venditor nolens, incideret in communionem, per partis animalis redhibitionem, ad quod cogi non potest, *l. si non fortem. 26. §. si centum. 4. ff. de conduct. indebit. mortuo verò animali, agere ipsi licet; quia tunc tractatur solum de pretio, ex se divisibili, l. 31. §. idem ait. 6. h. t.*

69. Adversus Venditorem hæc actio datur, *l. 1. h. t.* ut & in ipsius heredes, *l. 48. §. 5. eod. tit.* qui non tantum actiones activas, sed & passivas, in se recipere, æquitas suggerit; etiam in fidejussorem in universam causam acceptum, *l. 56. h. t. l. 54. ff. Locati.* ejusmodi enim fidejussor, & usurarum & culpæ tenetur, *l. 2. pr. ff. quod legat. l. 32. ff. de administr. iur.* sed novo Jure, *authent. præsentente C. de fidejuss.* ipsi competit beneficium excussionis, non quidem ipso jure, sed quia est dilatoria exceptio; ideò ante litem contestatam opponenda:

ponenda: nec audiendi illi, qui hanc exceptionem anomalam, ideoq; tam ante, quam post contestatam litem opponi posse somniant. *gloß. ad l. 3. de Except. Sichard. ad aub. præfente. C. de fideiuss.*

70. Dum beneficii & privilegii excussionis mentionem fecerimus, simul nobis in mentem venit, quæstionem hanc annexere, utrum scilicet cedendarum actionum beneficium, non solum antè, vel in ipsâ solutione, sed & post solutionem, fidejussor petere possit? nos in sententiam negativam procliviores esse, non erubescimus.

71. Modò diximus, quod hæc actio adversus venditorem locum habeat; si autem plures venditores socii, rem vitiosam vendiderint, agenti hoc iudicio, liberum erit, contra quem voluerit, in solidum agere, modò reus conventus, majorem vel æqualem partem in societate habeat, ne pluribus, quod molestissimum ei erit, litem movere sit necesse, *l. 44. §. 1. h. t.* si verò minorem habeat partem, tantum pro sua parte conveniendus. *Caball. hic cap. 2. n. 44.* quod si quilibet separatim suam partem vendiderit, unicuique pro sua parte lis est intendenda, *gloß. in d. l. 44. h. t.*

72. Fallit tamen quod modo dictum, si ex empto actione Civili, socii sint conveniendi, tunc enim contra singulos, pro rata portione, quæ socii sunt, agendum, *d. l. 44. §. 1. h. t.* In casu tamen absentia vel inopia alterius correi, si omnes in solidum se, suave bona obligaverint, novissimo authentico Jure, conveniendi quem elegerit, emptori datur facultas. *aub. hoc ita. C. de duob. reis.*

73. Alterum cum alterius detrimento & damno locupletari, quia æquo & bono non convenit, *l. 206. de Reg. Jur. l. Jure succursum. §. fin. ff. de Jure dot. l. 8. §. si quis. 22. ff. de transact. l. 14. ff. de condict. indeb.* sed suum cuique tribuatur, *§. 3. Instit. de F. & F.* quod Justitiæ scopus est; alteri enim quid detrahere, & ut *Cic. lib. 3. offic. ait: suum augere commodum cum alterius incommodo, magis esse contra naturam, quam ipsa mors, dolor & paupertas;* Ideò hoc Edictum certum redhibendi modum præscripsit, Et ita emptori consuluit, ne tamen venditor injuriâ afficiatur: & cum circa rem, quæ in specie restituenda est, varia plerunque accidunt; quæ in pretio, quod functionem in genere accipit, ita non considerantur, ad quid emptor & venditor, sibi invicem tenentur, brevi penecillo depingam.

74. Hoc itaque integrum restitutionis negotium; uti vocatur, *in l. cum ausem. 23. §. 7. h. t.* à parte Emptoris in initium capiat; *Colleg. Jurid. Argent. ib. 29. h. t.* nec prius pretii repetendi potestas ei largienda, quam si rem possit exhibere, *l. 5. C. h. t.* & venditori præstet, quæ in hanc actionem veniunt; *l. 29. h. t.* qui enim prius intendit agere, sive sit Emptor sive venditor, imprudenter petet ab adversario satisfactionem, cum non prius sit satisfacere paratus, *l. 13. §. 8. ff. de act. empt. & vend.* Ideò ad quid emptor in hoc iudicio restitutorio teneatur, prius dispiciendum.

75. Redhibere primò debet Emptor, rem in individuo, qualem accepit; si enim operâ ejus, vel familiæ, *l. 25. h. t.* vel tutoris, aut Curatoris. *l. 31. §. 14. aut Procuratoris, l. 25. §. 4. d. l. 31. §. 11. 12. 13. 14. h. t.* cui universa negotia, aut id ipsum, quod deterius factum est, specialiter mandatum est, *d. l. 25. §. 3. eod.* res perierit, vel deterior facta sit, deteriorationem istam præstare tenetur, si verò casu, & non culpâ ejus, res damnum acceperit, ipsi non nocet; unde extinctum corpus redhiberi posse affirmat, *l. 38. §. 3. l. 47. l. 48. pr. h. t.*

76. Verùm non sufficit eandem rem quam emit, venditori redhibere, fed etiam

etiam id, quod fortè ex re, post venditionem natum, aut acquisitum est, ut partus ancillæ, foetus pecorum, das Raib mit der Kuh/ & omne illud, quod occasione rei emptæ, ad emptorem pervenit, l. 23. §. 9. l. 24. h. t. accessiones rei emptæ, ut si servus emptus sit cum peculio, unà quoque cum peculio restituantur: restituere enim, non solum significat, rem exhibere sive præbere, sed & in eâ causâ, formâ, accessione & qualitate reddere, in quâ, fuit, si nihil adversus id, cujus gratia restitutio desideratur, factum esset; l. 19. videamus. ff. de usur. l. pr. eterea. 20. ff. de Rei vend. l. 75. l. 35. de V. S.

77. Cavere etiam emptor tenetur, ne fortè pignori, res ab eo obligata sit, l. 21. §. 1. h. t. pignus enim redhibitorum non liberat, l. 43. §. 8. h. t. Item nihil damni in re venditâ, quæ ad ipsum pervenit, quamque redhibet, se dolo malo fecisse, quo deterior, aut evictioni obnoxia fieret, ut & de acquisitione rei traditæ occasione, si quid ad ipsum pervenerit, restituendis, l. 21. §. 1. l. 24. l. 23. §. 8. l. 30. pr. h. t.

78. Quanquam autem hæc omnia, Emptor præstare debet, antequam viceverâ quod consequatur, l. 25. §. fin. h. t. pretium enim recepturus, emptor; ut potè rescisso voluntate ejus contractû, rem prius redhibeat, l. 13. §. 8. ff. de act. empt. & vend. quia tamen iniquum foret, Emptorem compelli, dimittere corpus, si venditor, fortè propter inopiam, ex suâ parte, nihil vicissim præstare possit; Ideò sufficit, si caveat, se, solutâ pecuniâ, illud restitutum l. 26. h. t. Jure enim retentionis, suum potiùs consequitur, quàm Jure agendi, meliusque possidere, quàm à possidente petere, l. is qui destinavit. 24. ff. de R. V. l. 2. C. de probat. quò referri potest illud Germanicum. Es ist besser den Vogel in der Faust behalten/ & fatuus dicendus, qui rem, non deductis deducendis restituit. Jaf. in l. 26. §. 14. ff. de condict. Indeb.

79. Et multis in locis, quia usus obtinuit, ut pro re venditâ, Gabella solvatur, cujus solutio Jure communi Emptori incumbit, l. 27. h. t. rescisso verò & annullato, per hanc actionem contractû, venditor Emptori gabellam restituere tenetur; omnia enim quæ emptionis causâ, necessario erogata sunt, redhibenda esse, ait d. l. 27. h. t. neque à fisco, cui per contractum, purè & simpliciter initum, & perfectum; Jus quæsitum est, quod partes tollere nequeunt; repeti potest, Ant. Gomez. lib. 2. var. resol. c. 9. n. 31. in fin. neque obstat quod ejusmodi resolutio retrahitur; quia intelligitur, respectu contrahentium, non verò respectu fisci, vel alicujus tertii, secus tamen, si resolutur contractus in continenti, tunc enim, neque ex contractû, neque distractu debetur gabella; quia perinde est, ac si à partibus non esset initus, arg. l. contractus. C. de fide Instr. è contra, si motu proprio & ex liberalitate sumptus fecerit, restituere venditor non tenetur. d. l. 27. h. t.

80. Restitutione ita realiter factâ, à parte emptoris; aut cautione præstitâ, ex parte venditoris, pretium emptori refundendum; quicquid enim dispositum, sive statutum est, in uno correlativorum, statuatur quoque in altero; Ita quicquid pro re emptâ venditori solutum est; Item pretii usuræ & damna, vel si quid pro re impenderit, l. 23. §. 1. l. 29. §. pen. h. t. reddere tenetur; damna tamen tum demum refarcire debet, si Emptor, ea omnia, quæ præstare debuit, prius ei solidè præstiterit. l. adiles. 25. §. fin. h. t.

81. De pretio autem Emptori restituendo, quid statuendum, an venditor, eodem nummorum genere, vel aliâ etiam moneta restituere teneatur? Posterius amplectar, modò usitata ac probata fuerit moneta, gut an Schrot vnd Romæ secus tamen est, si inter Venditorem & Emptorem, bonâ fide

fide convenit, ut in certâ monetâ, pretium solvèretur, ac juxta pactum illud, solutio facta fuerit, in eadem quoque monetâ restitutionem fieri, par est.

82. Obligatum etiam Emptorem, emptionis nomine, sive venditori, sive jussu ejus alii, pretio nondum soluto, ab obligatione & actione venditi, pretii nomine; venditor liberare tenetur, *l. 25. §. 9. l. 29. §. 1. h. t. Colleg. Jurid. Argent. thes. 27. h. t.* & ut summam comprehendam, quicquid ex bona fide, illud in hoc Judicium redhibitorium cum Emptori tum venditori est præstandum, *l. 51. h. t.*

83. Quod si denique venditor, rem redhibendi Judicis decreto, ea quæ in hac actione præstanda sunt, præstare jussus, non pareat; pretium cum accessionibus reddendo, aut eum eo nomine obligatum liberando, ob contumaciam, in duplum pretii & accessionis condemnatur. *l. 45. h. t. Colleg. Jurid. Argent. thes. 28. h. t.*

84. Tempus, huic actioni, intra quod instituat, aliud Jure: aliud verò partium conventionem, scil. in diem vel conditionem, est præstitutum: de jure terminus redhibitioni, ob vitium, morbum aut promissum non præstitum, ex die contractus, *l. 19. h. t. regulariter*, sex mensium est præfixus. *l. si is qui. 25. §. 1. ff. de except. Rei. Jud. l. 2. C. h. t.* aut si post venditionis diem quid promissum, ex tempore promissionis, *d. l. 19. §. fin. h. t.* & sic tempus utile est, non quidem ratione initii, quia currit ignorantanti, *d. l. 19. §. fin. h. t.* sed ratione cursus; seu progressus & consummationis.

85. Posito autem, sed non concesso, hoc tempus ignorantanti non currere, quid agendum; si de ignorantia dubitetur? standum Juramento ipsius ignorantiam prætendentis, concludimus, cum ignorantia præsumitur, *l. 21. ff. de probat. vide Arbor. Judic. Gilsausens/ p. 1. c. 6. §. 286.* ubi tradit quibus conjecturis probetur ignorantia & quibus in casibus Juramento probari possit, imò & Jure Can. *C. constitutus ibi: intra annum, & c. ext. de restit. in integr.*

86. In quibusdam tamen casibus, tempus duorum mensium, sive sexaginta dierum spatium, tantum conceditur, quando nimirum principale propter accessorium redhibetur, ut Equus propter fellam, & ornamenta non præstita, *l. 38. h. t.* cui temporari etiam cautionum Adilitiarum denegationes subjiciuntur, *l. 28. hoc eod.* Emptor verò nolens redhibere, ad ornamenta perpetuo agere potest, *l. 2. circa med. C. de constit. pect. Caball. de adil. act. cap. 2. n. 39.* præteritis autem sexaginta diebus, facultas agendi regulariter sopita est, nisi aut mora fuerit per venditorem, aut non fuerit præsens, cui redderetur, aut alia justa causa intercesserit, cur intra præfinitum diem, res non sit redhibita, *l. 31. h. t.*

87. Conventio redhibitoria, quâ ita venit, ut nisi placuerit, intra præfinitum tempus vel in perpetuum, res redhibeatur, rata habetur. *l. si prædium. 4. C. h. t. Alih. duceolog. libr. 1. c. 75. n. 16.* contractus enim à pacto, uti dictum; legem accipiunt, *l. 1. §. si conveniatur. ff. de pos. si autem de tempore nihil convenierit dies 60. utiles, emptori ad agendum sufficiant. l. 31. §. 22. h. t.*

88. Occasione thesif præcedentis, hoc exurgit dubium, an nimirum tempus perpetuum, in conventionem adjectum, simpliciter, ita, ut nunquam huic facultati præscribi, vel secundum quid, ut intra triginta annos tantum res empta redhiberi possit, sit intelligendum? prius, autoritate legis quod se nolit. *31. §. 22. h. t.* utpotè Juri magis consentaneum defendere placet.

89. Diverso modo proceditur in se sub conditione empta; hæc enim ex-

pletâ demum conditione, redhibeatur. *arg. l. bovem. 43. §. 9. h. t. Colleg. Jurid. Argent. thes. 23. & 28. h. t.* In contractibus enim conditionalibus, pendente conditione non agitur, quia neque venit, neque cesit dies, *l. cedere diem. 213. de V. S. conditione autem existente, contractus parit obligationem. l. hæc conditio. 7. ff. de contrah. empr. omnisque conditio in eventu posita est, l. un. §. 7. C. de cad. toll. & tantum de Redhibitoriâ actione; jam brevissimis, æstimatoriam videbimus.*

90. Æstimatoria actio, quæ à re æstimanda dicitur, *l. 18. l. 44. hoc tit. est prætoriana sive honoraria, arbitraria, personalis, quâ agit Emptor in hoc, quantò pluris emisisset, ignorans rei qualitatem, id venditor etiam ignorans, tenetur ei reddere. Treusler. vol. 2. disp. 2. th. 3.*

91. Æstimatoria dicitur, non quidem uti illa, quæ ex contractu innominato descendit, quâ agitur in id, ut aut res æstimata vendenda data, restituatur, aut ejus æstimatio solvatur, de qua vide *tot. tit. ff. de æstimat. act.* sed ideo, quia per eam æstimatur res, quanti re verâ valuerit tempore contractus, eo corrupta vitio, quod postea deprehensum est, *l. 9. C. de act. empr.*

92. Ex quibus, hanc actionem; contractum, ad proportionem Arithmeticam, sive a qualitatem, quæ inter res communicandas, seu pretium & mercem esse debet; *Wesenb. in ff. de Just. & Jur. num. 13. Keckerm. 2. Esbic. 5. recedendi causa, ab Ædilibus propositam esse, elucet. l. 1. §. si intelligatur. h. t. Vult. 1. Jurispr. 44. n. 25. in fin.*

93. Insuper, interdum judicium æstimatorium, Item quantò sive quanti minoris, *l. 18. pr. l. 61. h. t. l. 25. de except. rei Jud.* appellatur: emptor per hanc actionem, quantò minoris res valet, recuperat, ut si rem 30. florensis emerit, quam 10. minoris emisisset, si vitiosam scivisset, hæc actione intentatâ, 10. florenos recuperat. *d. l. 9. D. de act. empr. Wesenb. in ff. n. 9. h. t.*

94. Quanti verò in genere quodlibet vitium æstimandum seu res cum venit, minùs ob vitium valere debeat; Illud in dubio, ex qualitate, rei venditæ, & vitii, conventionis legibus, consuetudine loci, aliisque circumstantijs, judicantium fidei committendum, *l. 34. de Reg. Jur.* Circumstantiæ enim, ut rerum pretia augent vel minuunt; Ita & vitia extenuant & aggravant; Et prout sunt in commoda rei inhærentia; ita eorum nomine dissimiliter Venditor obligatur. *Donell. 13. Comment. cap. 3.*

95. Et quamvis Bald. & Bart. ille quidem in *l. 2. C. de rescind. vend.* hic verò in *l. Julianus. 13. pr. ff. de act. empr.* inter clausulam, quanti minoris res est, & quanti minoris quis fuisset empturus, differentiam esse, existiment; quasi hæc posterior, non veram rei æstimationem, sed singulare affectionis interessè contineret; tamen has clausulas, cum *Caball. c. 3. n. 7. de ædilit. act. & Treusler. 2. disp. 2. thes. 2. lit. a. arg. l. inter hæc verba. 179. de V. S. pro isdem haberi, defendere malo; nec insuper, non obstantibus multis, ullum discrimen, inter Interessè commune, singulare seu proprium, & conventum; sed unicum tantum agnosco.*

96. Prætoriam esse actionem, patet ex *thesis supra dictæ. 17. ratione; quòd autem duplicem, quanti minoris actionem, interpretes communiter constituunt; aliam, nempe Civilem perpetuam. per l. 13. pr. ff. de act. empr.* Aliam verò prætoriam temporalem, *l. 31. §. 22. h. t.* id nostro Juri non convenit; Ideò ab eâ opinione recedere; & unicum tantum temporalem prætoriam esse, cum recentioribus, affirmare, fatius esse reor.

97. Nec contrariantes tutiores reddit, *l. 2. C. h. t. ubi Gordianus Imperator,*

rator, roganti, an emptor post annum, servi fugitivi nomine, cum Venditore congregari possit; respondet, nullo modo posse, quia nec redhibitoriam habeat, quæ sex mensibus, nec hæc actione quanti minoris, quæ anno finita sit; quod si alia Civilis quanti minoris super fuisset, de ea Imper. haud dubiè responderet; Et hanc sententiam, de Jure veriore, *Sichart. quog; videtur in rubr. C. h. t.*

98. Quia autem hæc æstimatoria sive quanto minoris, & redhibitoria actio, in multis conveniunt; utraq; enim est temporalis, *l. 2. C. h. t.* utraq; arbitraria, Prætoria, personalis, conveniunt porro, in his, quod utraq; competit emptori, *l. 19. ff. eod.* utraque in heredes sit transitoria, & contra heredes venditoris, *d. l. sciendum. 19. §. 5. l. 31. §. 5. h. t.* Ideò hic ea tantum, in quibus differunt, paucis attingemus.

99. Differunt itaque hæc duæ actiones, 1. ratione Effectus, actionis enim redhibitoria finis & effectus est, ut venditio in totum rescindatur, & omnia in pristinum statum reponantur, per supra dicta: Æstimatoria verò seu quanti minoris pro parte, & eatenus saltem contractum rescindit, quatenus res pluri empta est, quam empta fuisset, si emptori vitium latens, postea patefactum, tempore contractus notum fuisset, *l. 38. l. 61. h. t.* Illa tale vitium continet, ut emptor ob id, si scivisset, empturus non fuisset; hæc æstimatoria, etiam aliud quodvis comprehendit. *l. 43. §. 6. h. t. l. 25. ff. de Except. R. Jud.*

100. Differunt præterea in hoc, quod Æstimatorio Judicio, quis sæpius agere possit, *l. 31. §. 16. h. t. l. 32. ff. de evict.* non quidem ejusdem vitii nomine, quod iniquum foret, sed diversorum; tantum enim consequi & recipere debet emptor, quanti minoris fuisset, empturus, si vel unum, vel plura rei empta vitia, tempore contractus ignorasset; unum enim vitium altero latentius esse potest, ita, ut non simul & eodem tempore, sed successivè deum deprehendatur: Id tamen agendum est, ne lucrum emptor faciat, & bis ejusdem rei æstimationem, consequatur, *d. l. 31. §. 16. h. t. l. 32. ff. de evict.* tutius autem erit de vitio aliquo acturus, si de alio, quod fortè adhuc sit appariturum, Jus agendi, sibi protestando reservaverit, *l. si tamen. 48. §. 7. h. t. Colleg. Jurid. Argent. th. 28. hic.*

101. Tempore quoq; ab invicem hæc duæ actiones distinguuntur, quanti minoris enim actio, non ut redhibitoria, ob vitium morbúmve, sex: nec ob ornamenta & accessoria non præstita, vel denegatam cautionem, duobus tantum mensibus astricta est, de quibus supra verba fecimus, sed intra annum utilem, tam ratione initii, quam progressus seu cursus, ob vitium morbúmve, præsupponitur, *l. sciendum. 19. l. 38. h. t.* aut si venditor, Emptori stipulationibus ædilitiis cavere nolit, specialiter, semestre tempus, hoc Edicto indultum est, *l. 28. h. t.* differentia ratio est, quia redhibitoria est magis odiosa, tendit enim ad contractum rescindendum, qua de causa etiam breviori spatio concluditur: Intra sex menses itaq; emptoris est, utrà agere velit, post illos non item, sed solum æstimatoriam intentare potest, *d. l. 19. l. 48. h. t. l. 2. C. eod.* & alterutrâ harum intentatâ, si alterâ postea agere velit, exceptione rei Judicatae submovetur. *Caball. hic c. 3. num. 4. Donell. Treutl. 2. dispur. 2. th. 3. lit. a. Colleg. Argent. h. t. th. 33.*

102. Ex hisce itaq; modò dictis patet, hanc æstimatoriam actionem, cum redhibitoria, non propriè & cumulativè, ut simul nimirum exerceri, vel utraq; intentari possit, *l. 10. ff. de act. empt.* vel cum alterâ in judicium deductâ, altera

nihilominus integra maneat, l. 18. ff. de O. & A. quâ in quod plus sit in hac, exequi possit, l. 54. ff. d. iii. sed impropiè & electivè concurrere posse, ut se invicem electione tollant, & sic unâ electâ ad alteram regressus nullus pateat. l. 25. §. 1. ff. de exception. Rei Jud.

103. Si quis tamen hoc æstimatorio Judicio egerit, & res vendita adeò nullius sit præti, ut eam, sibi habere, non expediat, nihilominus reddiberi vitiosa res, officio Judicis poterit. l. 43. §. 6. h. t. C. F. A. h. t. th. 33. intra sex tamen menses ad reddibendum, condemnato reo: Caball. de ædilit. act. cap. 3. n. 11. propter affinitatem enim & connexionem quandam harum actionum, in illo ipso æstimatorio Judicio, ad rem recipiendam, venditor condemnari potest, eo scil. dicto casu, si res sibi habere, non expediat, adeoque actioni æstimatoriæ, reddibitoriæ, quasi in esse videtur. Bach. ad Treutl. hic th. 3. lit. A. jam in factum actionem, levi calamo ad umbrabimus.

104. Hæc in factum actio prætoriam, actioni reddibitoriæ quasi succenturiata vel subordinata est, & extremum Juris nostri subsidium, quod tantum locum habet, quando nulla alia actio, vel directa vel contraria superest. §. fin. Instii. de L. Aquil.

105. Generalis regula est, quod ubicunque æquitas suadet, deficientibus aliis actionibus, Prætor hujusmodi actiones in factum accommodet; quæ sint subsidiariæ, non tantum Civilibus, sed etiam ipsis prætoriiis actionibus, & quæ præter mentem legis, per largiorem productionem, accommodantur, ex mera æquitate, ne alter in damno, alter verò in lucro injusto moretur. Bachov. diff. 4. th. 24. de act.

106. Personalis est actio, ut cæteræ in factum actiones omnes, quod ipsum nomen denotat, quia arguit relationem quandam, & personalem præstationem, quod alienum est, ab actionibus in rem, idèò nullam in factum actionem realem dari, concludimus.

107. Cum verò iniquum sit, ut rem & pecuniam, venditor simul habeat, ac utroq; fruatur; Das der Verkäuffer: Gut vnd Gut zugleich behalte vnd genießes l. exempt. 11. §. 18. circ. med. ff. de act. empt. & vend. l. curator. 5. C. eod. Idèò Emptori, re emptâ, & extra Judicium reddibitâ, vel in Judicio quidem, se ab eo, re non retentâ donec ei pretium restituatur, l. videamus. 26. h. t. Prætor subvenire, atq; hanc in factum actionem, ut pretium cum accessione reddatur, ei largiri voluit. Quo casu, hoc unicum tantum; an nimirum reddibitio facta sit; non autem de causâ ejusdem, vel tempore, quaritur; necesse enim est, reddibitionem factam esse, alioquin hæc actio cessat; adeò, ut nec conventio de reddibendo, eidem locum faciat. l. 37. §. 17. h. t.

108. Venditori hæc actio competit adversus Emptorem, quando Venditori nō restituuntur, ea quæ rei emptæ interim accedunt, d. l. 31. h. t. ex quibus apparet, reddibitionem etiam solius principalis, rectè fieri posse, absq; accessionibus, eamq; subsistere, ut tamen accessiones nihilominus sequantur.

109. Præscriptionem deniq; temporis quod attinet, etsi existiment quidam, & cum illis Caball. hic cap. fin. n. 2. eam, ut cæteræ actiones, temporalem esse; verior tamen & sanior est sententia eorum, qui eam perpetuam esse tradunt, quia rei persecutionem continet, l. 35. ff. de O. & A. post rem enim restitutam; pretium solutū, quod adhuc penes venditorem est, cum persequitur; emptor, quod adhuc ei abest; absurdum & æquitati haud conveniens esset, hanc actionem, lex mensibus sopiri, nam prætorias quoq; actiones, quæ neq; pœnales sunt, neq; contractum Juris Civilis rescindunt, perpetuas esse constat ex d. l. 35. ff. de O. & A.

LAUS DEO.

DISPU-